

**www.e-rara.ch**

**Specimen rei numariae, quo, cum prolegomenis de occasione, scopo,  
ordine et usu thesauri universalis numismatum, observationes,  
doctissimorum virorum de numismatis Graeci praestantia, usu, raritate ...**

**Gessner, Johann Jakob**

**Tiguri, 1735**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: 7.12: a | F

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-88320>

Ad lectorem benevolum.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

## Ad Lectorem benevolum.

**L**icet jam pridem Numismata Regum Syriae, Ægypti & Arfacidum, singularibus libris edita, iteratisque splendidis editionibus evulgata sint; hæc tamen sola *Numismata Regum Macedoniae*, non nisi in votis eorum fuerunt, qui integram Monarchiam Græcam, cujus Regnum Macedonicum prima & præcipua pars, Nummis illustratam desiderarunt. Tam exiguus erat hujus Generis Numismatum Numerus, doctissimis viris notus, ut aliorum Numismatum Classibus inserta ederentur, ne penitus interirent. Nihil ominis tamen puto, successum in colligendis his Numismatibus mihi non plane defuisse; Eo usque enim assurgit eorum numerus & series in hoc opusculo, ut jure affirmari possit collectionem hanc Numismatum Regum Macedoniae, majorem esse, laudatissimis collectionibus Numismatum Regum, Syriae, Ægypti & Parthorum, quas Cl. Vaillantus inter plausus doctissimorum Virorum edidit, dum tamen quædam illarum, vix explendis 2, vel 3, Tabulis ejus generis sufficerent, quales sunt VII. Tabulæ, opusculo nostro inservientes: An vero hæc Numismata Regum Macedoniae Varietate, & usu in Historia, aliis inferiora censenda sint, facile judicabunt, qui sciunt Numismata Regum Macedoniae, ab Amynta antiquissimo ad Perseum usque, comprehendere rarissimos antiquissimosque Nummos, qui omnibus aliis, exceptis paucissimis quibusdam quos Phido & Atys cudi curarunt, Antiquitatis palmam præripere, & Historiæ genuinæ indubia certa que rudimenta exhibere censentur\*. Fateor Cl. Vaillantum in condenda Historia Regum, quorum Numismata edidit, prolixiorum fuisse, sed scopo nostro convenientius fuit non nisi præcipua singulorum Regum præclare gesta, ex præstantissimis Scriptoribus, paucissimis, commemorasse. Forte aliis temporibus, ex hisce præfidiis, elicientur, quæ majoris judicii & doctrinæ sunt. Post Alexandrum M. Annos Æræ vulgaris ex Hubnero adscripsimus, ut cum Annis Mundi ex Cl. Grævii Justino p. 13. citatis conjungerentur, & collata hac Chronologia cum ipsis Numismatum delineationibus, tempora Numismatum solo intuitu perciperentur. De Numismatum delineationibus, Scriptis, & Museis, unde depromtæ sint, in Prolegomenis abunde diximus; Plura tamen alia addidissimus si per Integram valetudinem Ill. de Boze, & Ven. J. C. Iselii S.T. D. & Prof. Bas. p. m. licuisset. Possimus etiam alia expectare, sed longiori cunctatione nolimus molestiores esse. Finem igitur facio Verbis Cl. Sponii, ex Præfatione ad *Miscellanea Erudita Antiquitatis*: „Primo, inquit, quem inchoamus libro continebuntur Novem aut decem Sectiones, plus aut minus; quarum primam sigillatim nunc prælo submittimus: „Sicque, si Deus volet, singulis tribus aut quatuor mensibus, aliam & aliam emittemus. „Hoc institutum ut sequerer, multis sum adductus rationibus, tum valetudinis, tum temporis quod à cælatoribus exigitur, tum impensarum quæ sic editori & emptori minores videbuntur; tum etiam ut sequentibus emendari & augeri queant, amicorum monitu, quæ in prioribus dicta minus recte, aut omiſsa fuerunt. Hæc habebam præfanda. Valeat porro & faveat omnis Venerandæ Myſta & cultor Antiquitatis.

\* Conf. Ill. Spanhem. de usu Num. Tom. I. p. 18. Misc. Berol. Tom. I. p. 33. Cl. Heumanni Introd. ad Hist. Litt. Cap. 6. §. 16.

## Supplenda & emendanda.

p. 9. ad § IV. de Raritate pretio Nummorum Græcorum conferri potest, locus Ill. Baudelot d'Airval, in tract. de l'utilité des Voyages, Tom. II. p. 285. unde constat, Baudelotum ex primis fuisse, qui consilium cepit colligendi Numismata Græca Regum, ejusque exemplo & consiliis motum Cl. Vaillantum, ad eorundem collectionem animam appulisse.

p. 13. Ad Columnam primam, ubi de difficultatibus Chronologicis in serie Regum Macedoniae, addi potest, locus Rev. Harduini, ex Chronologia V. T. in opp. Sel. p. 576.

Querelis de difficultatibus, quæ hanc seriem Regum Macedoniae premunt, Cl. etiam Haymius, suam addidit, in Theſ. Britt. Tom. II. p. 9. 10.

Pag. 17. Col. I. in margine in locum τζ II. 9. reponendus est Numerus IV. 32. & contra, p. 23. columna 2. in locum τζ IV. 32. reponatur II. 9. Nam errore pictoris ex unius libri eadem pagina, Nummus Alexandri M. inter Nummos Philippi; & contra, Philippi Nummus, inter Alexandri Numismata locatus est.

II. 12. 13. Hæc duo Numismata sunt ex genere *contorniatorum* maximi moduli, de quibus conf. Cl. Havercampi dissertatio, quam singulari diff. de Nummo Alexandri M. subjecit. p. 43. similes typi in Nummis Neronis & Trajani signati sunt, de quibus consulatur l. c. p. 86. 87. & 103.

III. 30. Hic Nummus spurius est, Orthographia temporibus Alexandri M. repugnat, typus forte ex Nummis Hadriani mutuo sumtus est, in cujus Nummis argenteis, similem typum edidit Rev. Pedrusus in museo Farnensi.

IV. 36. Hic Nummus ad *Erytraorum* Nummos pertinet, cujus Initiales in tribus literis EPT. quas Cl. Patinus non intellexit. In Nummis hujus generis, loco obscuræ figuræ, quam Patinus ad Palmæ similitudinem expressit, cernitur noctua de qua plura in Nummis urbium dicemus, ex Cl. Bayero, in Comm. Acad. Scient. Petrop. Tom. II. p. 436.

p. 17. Ubi de *Philippi Nummis Aureis*; Observat Cl. Crophius, in Antiq. Maced. lib. II. cap. 5. hunc Philippum, apud *Crenidas*, aurifodinas nactum, Nummum Aureum, Philippi nomine cudere instituisse, teste *Diod. Siculo*. Lib. VIII. p. 847. quorum Horatius Lib. II. ep. I. v. 234. & Plautus Bacch. Act. II. Sc. II. v. 52. meminerunt.

Mille & ducentos *Philippos* attulimus aureos. Ubi Taubmannus annotat, *valuisse Philippum aureum duos circiter aureos Gallicos*. Conf. Cl. Begeri Theſ. Brand. Tom. I. 237.

II. 3. Ad hujus Nummi illustrationem facit locus Plutarchi, ubi legitur; *Soliturum fuisse Philippum curules Olympicorum victorias in Nummis signare*. Observante Cl. Begero in Theſ. Brand. I. p. 233.

II. 4. Cernitur in hoc Nummo Philippi Oculus dexter, isque nullo vulnere deturpatus, cum tamen authores, in obsidione Methonæ; quæ octavo regni anno accidit, dextrum oculum, ei sagitta effossum fuisse scripserint. Vid. Justinus lib. VII. 6. Diodorus & Plutarchus, licet rem ipsam non negent, tamen de oculo dextro nihil de terminant. Begerus l. c.

II. 20. 21. 30. In his Nummis observari potest *Corytus*, vel theca in qua olim arcus recondebantur; quo scopo similem nummum edidit Rev. Montfauconus, Antiq. Expliquées. IV. Tab. 25; 7. Conf. Cl. Bayerus, in Comm. Acad. Scient. Petrop. T. II.